



# **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1857**

XI. Die Markgrafen Johann, Otto und Conrad legen dem von ihrem Vater in Paliz gegründeten Kloster Mariensee die Pfarre zu Oderberg und das Patronatsrecht über dieselbe bei, am 16. April 1267.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54745](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54745)

nientibus proprietatis titulo perpetuo possidendam, confirmantes nichilominus eisdem agros villarum de Lipa cum his terminis. Cumulum lapidum et terre circa tres ramos quercinos intra Plawe et allodium Domini Boz et villam Lipa. Deinde per directum ad quercum signatam in acuto monte. Idem mons dimidius ad villam Lipa pertinebit et claustrum partem alteram retinebit. Inde per directum ad pinum duplicem signatam in decliui montis. Exinde ad quercum signatam in monte lapidis. Inde per directum trans viam Bizdal ad pinum altam signatam prope paludem cum silua adjacente, que dimidia ad ecclesiam pertinebit. Hij termini demonstrati sunt iubente domino Marchione beate memorie ab his quorum nomina subsecuntur: Dominus Bernardus, Abbas claustri ejusdem, frater Stephanus, frater Johannes, frater Johannes conuersus, dominus Conradus Clift, Johannes de Brunkowe, Henricus, aduocatus de Stolp, et alii quam plures. Curiam insuper domini Boz cum agris et terminis ad ipsam pertinentibus. Item omnia pomeria et ortos, qui jacent in sinistra parte vie, que ducit de noua villa in Oderberg. Item duo molendina in Jordanedorp, supra Wilfnam, que dominus Johannes de Grifenberch contulit cenobio memorato. Item duo molendina domini Burchardi et Hinrici de Buccholt, que sita sunt juxta villam Wilfowe et unum quod fuit Johannis de Rogofene. Item duo molendina superiora in Sarnowe, que contulit dominus Henricus plebanus ejusdem loci. Item XXXII modios filiginis in molendino Vinauie inferioris. Item quinque choros filiginis in Grimme, quos contulit dominus Henricus de Stegeliz. Item XXX solidos censuales in Prinzlauia, quos Henricus de Stagno et XVI solidos, quos dedit dominus Hinricus de Sorluppe, et cetera bona a nostris fidelibus dicto collegio pietatis intuitu collata similiter confirmamus. Vt igitur hec nostra presens confirmatio dicto collegio stabilis in perpetuum perseueret, presentem paginam conscribi fecimus et sigillorum nostrorum munimine roborari, adhibitis testibus ydoneis quorum nomina sunt hec, dominus Bernardus, abbas ejusdem loci, R. prior ibidem, dominus Johannes, prepositus de Stolp, dominus Albero, Marscalcus, dominus Anselmus de Blankenburch, dominus Bertramus de Beniz, dominus Georius, Dapifer, et alii quam plures. Datum in Stolp, per manum domini Heidenrici, nostre curie notarii, anno Domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. LXVII<sup>o</sup>. indictione V, Epacta XXIII, Concurrente V. quarto Nonas Februarii.

Aus dem nach dem Original des K. Geh. Staatsarchives berichtigten Abdrucke in Gerdens Cod. II, 400.

XI. Die Markgrafen Johann, Otto und Conrad legen dem von ihrem Vater in Palitz gegründeten Kloster Mariensee die Pfarre zu Oderberg und das Patronatrecht über dieselbe bei, am 16. April 1267.

In nomine sancte et Individue Trinitatis. Johannes, Otto et Conradus, dei gracia Brandenburgenses Marchiones, Omnibus in perpetuum. Vt quod rite agitur, iuste ad populos referatur, cristi fidelibus vniuersis tam presentibus quam futuris volumus notum esse, quod nos ob Reuerentiam nominis ihesu cristi ac gloriouissime matris ejus, fratrum monasterii stagni sancte Marie virginis in loco, qui palitz dicitur, a domino et patre nostro felicitis memorie de nouo fundati, commoditatibus ac utilitatibus intendentes sollicitudine prouida ac deuota, ipsis et eorundem successoribus contulimus parrochiam in Oderberch cum omnibus attinentiis et appendiciis eius-

dem, cum ipsa et eadem parrochia uacauerit, cum iure eciam patronatus, proprietatis titulo perpetuo possidendam, jus eciam omne nostrum, quod in ipsa parrochia hactenus habuimus in ipsos fratres plane et simpliciter transferentes, Accedente nichilominus venerabilium patrum fratris Guidonis, tituli sancti Laurentii in Lucina presbyteri Cardinalis, sedis apostolice tunc legati, ac domini Henrici, Brandenburgensis ecclesie Episcopi, approbacione pariter et consensu, sicut in eorundem super hoc datis autenticis clare liquet. Vt igitur hec nostra pia donacio in perpetuum stabilis perseveret, presentem paginam conscribi fecimus et sigillorum nostrorum munimine roborari, Adhibitis nichilominus testibus ydoneis, quorum nomina sunt hec: Johannes prepositus de Stolp, franco canonicus Stendaliensis, et Rodolfus de Stendal nostri capellani, Beteko de Benz, Georgius de kerkowe, Johannes de wozstrowe, milites et alii quam plures. Datum Stolp per manum Heidenrici plebani de Nowen, nostre curie Notarii, anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. LXVII<sup>o</sup>. XVI<sup>o</sup>. Kal. maii.

Nach dem Original des K. Geh. Staatsarchives.

XII. Die Markgrafen Johann, Otto und Conrad vereignen dem Kloster Mariensee, das auf der Insel Paliz gegründet ist, eine Hebung, die Albero, der Marschall genannt, dem Kloster geschenkt hat, am 16. April 1267.

Nos Johannes, Otto et Conradus, Dei gratia Brandenburgens Marchiones, recognoscimus et literis presentibus publice protestamur, quod Dominus Albero, dictus Mariscalcus, fidelis noster dilectus, in nostra constitutus presentia recognouit, se dedisse monasterio et fratribus Stagni sancte Marie virginis, in loco qui Paliz dicitur fundato, unum talentum denariorum Brandenburgensium de censu ville Lubechoue ad comparanda luminaria singulis annis dandum pro anime sue remedio et salute. Quam siquidem donationem ab eodem nostro fidele pie factam gratam ac ratam habentes presentis scripti nostri patrocinio confirmamus. Tradentes dicto monasterio et fratribus ad euentiam futurorum hoc presens testimonium literarum sigillorum nostrorum munimine roboratum. Hujus rei testes sunt dominus Johannes, prepositus de Stolp, Heidenricus, plebanus de Nowen, Franco, Canonicus Stendaliensis, Rodolfus de Stendal, nostre curie Cappellani, Johannes de Brunkoue, miles et alii quam plures. Datum Stolp, anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. LXVII<sup>o</sup>. XVI<sup>o</sup>. Kal. Maji.

Aus dem nach dem Original des K. Geh. Staatsarchives berichtigten Abdrucke in Verdens Cod. II, 407.

NB. Ueber Albero's Familiennamen vgl. S. 211.

XIII. Bischof Heinrich incorporirt einen zur Pfarre in Oderberg gehörigen Hof im Dorfe Niendorf mit 12 Hufen dem Kloster Mariensee, am 16. Dezember 1268.

Henricus, Dei gratia Brandenburgensis ecclesie Episcopus, uniuersis presens scriptum auditoris in salutis auctore salutem. Recognoscimus et presentibus protestamur, quod illustris